ANGELO FUSINATO

CONCORDIENSI EPISCOPO

SOLEMNITER CONSECRATO



PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCLI.

Oratio latina, quae de Corde B. Gregorii Barbadici in hoc Seminarium solemniter translato habita fuit ab egregio professore Valentino Chilesotti, ac typis commissa, nunc iterum prodit tuo nomine insignita. Haec et magnum nobis leniet Tui discedentis desiderium, et Tibi Concordiensis Ecclesiae regimen suscipienti non mediocre afferet solatium. Exhibet enim picta velut in tabula tot perennia ac prorsus singularia beneficentiae ac amoris pignora, quibus institutor ac pater cumulavit Seminarium suum, in quo Tu

et alumnus, et professor, et rector ingenio, doctrina, prudentia, aliisque virtutibus excelluisti. Exhibet praestantissima Episcopatus munera, ac officia, quibus religiosissime perfunctus est Barbadicus, quaeque Tu eodem duce ac patrono sapienter adimplebis. Quare, dum Tibi de tua dignitate gratulamur, nobisque de nova Seminarii gloria gaudemus, exiguum hoc amicitiae nostrae, et obsequii testimonium perhumaniter excipe.

XIV. Cal. Mart. An. MDCCCLI.

MODERATORES ET PROFESSORES

SEMINARII PATAVINI.

DE CORDE

BEATI

GREGORII BARBADICI

In protectionem fortitudinis, et bases virtutis.
Eccli. c. VI. v. 30.

Divinae historiae acta et instituta cum reputo, superni pietate consilii gestum esse intelligo, ut praestantia quaedam aut caelestium beneficiorum pignora, aut victoriarum signa, aut instrumenta virtutum ibi potissimum asservarentur, ubi praesto essent qui grati animi officio obstricti religiosius ea colerent, fidelius custodirent, et avitae gloriae stimulis incitati exemplaria tanta, magni semper et novi aliquid spirantia, studiosius imitarentur. Ubinam inclytus ille gladius, quo bethleus Pastor, postquam minantem illam proceri corporis molem fundae jactu dejecisset in terram, gentem suam metu ac dedecore liberavit? Ubi legis tabulae, ubi virga quae sponte fronduerat, et urna aurea reliquium habens lectissimae illius dapis, quae immenso populo desertissimas arenas pervaganti et diuturnae peregrinationis labores delinivit, et sterilis solitudinis reparavit inopiam? Omnia in templo Salomonis; ut semper recens acceptorum munerum species dum quotidie

ante oculos multitudinis versaretur, nunquam animis excideret recordatio. Quod si ex hujusmodi sanctissimis praeclarissimisque monumentis alia diu irreperta et inhonora aliquando latuerint, alia vero a patriis quasi sedibus profuga externos sibi hospites cultoresque quaesierint, ubi primum contigit ea in lucem proferri, vel ad suos redire, in plausus maximos itum est, animique multorum derepente conversi ad placandam laesi Numinis indignationem, et ad ejus gloriam promovendam. Traducitur arca Domini post varias vices a domo Obededom in arcem Sion? Quid non laetitiae et religioni datum! Qua transit, cadunt passim victimae, redolet libaminibus aer, concrepant filii Levi in cymbalis et citharis et nabliis et lyris, gestit in jubilo omnis flos Israel: Rex ipse prae gaudio saltat ante illam; et qui saltantem in corde suo temere despiciunt, caelo vindice puniuntur (1). Reperitur in aerario templi augustum volumen legis, quod perierat, ipsa Mosis manu descriptum? Delet illico regnator Josias depravatas populi consuetudines, ubique lucos et simulacra evertit, pietatem toto regno collapsam instaurat (2). Quid Nehemias? Altaris igni post longas babilonicae captivitatis aerumnas mirabiliter restituto, celeberrimum festum instituit, et *diem ignis* jubet appellari (3). Haec prisca oracula et documenta facem nobis praeferunt, et solemnem hujus diei celebritatem faustitatemque denunciant. Venit enim, venit, seu potius majore cum gloria

rediit ad nos quoque gladius alter, quo gravissimis vulneribus confossus pluries cecidit inferorum gigas; rediit arca Testamenti, tabula Spiritus sancti, virga disciplinae, manna sapientiae, gratiae liber, fax caritatis; rediit quod laetis oculis hic tandem intuemur, quod complectimur, quod osculamur, quod tamquam missum e caelo munus una omnes gratulantes nunc primum solemniter consalutamus, invictum illud et beneficentissimum B. Gregorii Barbadici Cor. Quo recepto, videmur quodammodo redivivum hodie recepisse ipsum patrem, et illum patrem; quo recepto, diuturna disjunctio conjunctiores animos reddit, magis magisque concilians cor patris ad filios, et in filiis augens recolendi sollicitudinem, redamandi studium, obediendi sedulitatem. Grates interea vobis publice persolvimus, Vantiades Virgines, quod salesiano in hortulo intactum hoc et odoriferum lilium tam integre coluistis, tam fideliter, dum licuit, servastis, et tam pie nobis reddidistis. *O hereditas pretiosa, in qua plus consequitur qui accipit, quam possideret qui largitur* (4)! Et erat potior locus in terris ullus, qui cor illud exciperet, quam hic, ubi ille effudit divitias sapientiae, vigilantiae, magnificentiae suae, et quem eo usque dilexit, ut tamquam cor gregis sui respiceret? Benedictus Deus, qui nos voluit novo hoc paterni amoris locupletare thesauro, hilarare praesentia, et tanta hanc domum columna fulcire. Effundite itaque, quid moramini? adolescentes, co-

ram illo corda vestra, et sicut apes circumvolantes favum, laeti ruite in oscula, *sumite psalmum, et date tympanum in insigni die solemnitatis vestrae* (5). Vestrum est hoc festum, vestra haec pompa, vester hic dies: *dies ignis:* ignis, qui templum hoc totumque domicilium novo splendore et calore compleat; ignis, qui corda quaeque permeans, si qua sunt gelida incendat, si qua dura emolliat, si qua lenta aut remissa excutiat, firmet vaga, arida fecundet, detergat omnia mundano pulvere, et caelestibus ornet incrementis; ignis denique, qui frigidam quoque dicentis linguam talium heroum laudes attingere formidantem admoto calculo excitet, repurget, inflammet, ut se ipsa hodie major audeat aliquid non loco, non tempore, non munere, quod profitemur, nec clientium votis, nec auditorum sapientia, nec clementissimi Antistitis exspectatione, nec tanti Patroni dignitate prorsus indignum. Salve igitur, laus mea, et decus meum, et gemma coronae meae. Hic Te venerabuntur filii tui, donec ab illa ara ad ultimae tubae sonitum alia gloria circumfluens una cum tabernaculo corporis tui *rapieris in nubibus obviam Christo in aera* (6), et divina in templa pervolabis. *Congratulamini*, amici, quod talem *drachmam invenimus* (7), in qua novum obsidem habemus propensissimae in nos paternae voluntatis. Adest scilicet, ut luceat; adest, ut protegat. Hinc speculum, inde scutum: primum ad imitationem, alterum ad tutelam.

I. Quod radix arbori, id cor homini. Ex ea trunci soliditas, ramorum porrectio, foliorum viriditates, florum omnis ac fructuum copia: quorum multiplex forma, varia magnitudo, diversus sapor naturam ejus manifestant. Ex hoc pariter exeunt cogitationes, affectus, colloquia, mores; ex quibus illius indoles declaratur. Ac primum quidem cor hominis in vultu, tamquam in speculo, maxime elucet. *Tacitus enim cordis interpres, conscientiae index* (8), animi imago vultus est. *Ab occursu faciei*, ait Sapiens, *cognoscitur sensatus. Amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis enunciant de illo* (9). Vultis ergo, auditores praestantissimi, qualis et quanta virtus illius cordis fuerit, perspicere? Gregorii adhuc adolescentis faciem contemplaminor. Hanc sibi dividunt gravitas et mansuetudo; mixtaeque gratius enitent, pellucido verecundiae quasì velo contectae. Oculus ejus custos disciplinae: nusquam avolans nisi cum virtuti paruisset. Risus autem nunquam effusus, aut ineptus; sed qui vel indicet, vel provocet caritatem; tam modestus et rarus, ut tacitus monitor alienae levitatis esse possit; tam severus, ut qualibet tristitiae nube excussa, dum cordis hilaritudinem nunciat, ori gratiam non minuat, sed augeat (10). Vestitus illius, incessus, gestus, habitus, omnia, nil nisi insigne virtutis (11). Ante hoc speculum sistite vos primum, o pueri, et quaenam fuerit Gregorioli indoles, atque solatia, paulisper inspicite.

Quinquennis cum esset, audissetque forte tympana militum, concrepantiaque arma, minime ille expallescere, sed ejus ore laetae scintillae absistere et emicare. Id tamquam faustum martii vigoris argumentum excipere omnes et admirari, et secundos exitus patriae portendere. Sed virtus isthaec non ad sauciandum, sed ad sanandum erat. Aliis certaminibus, aliisque victoriis tum proludere visus est magnus Puer. Ad praelianda scilicet praelia Domini, eaque non cum barbaris gentibus, sed cum voluptatibus, lenissimis hostibus, adeunda; non ad densos armatorum cuneos, sed ad pravos inertium mores profligandos, et ad corda quaeque hominum non plumbea grandine, sed caelestibus telis vulneranda parabatur. Solatia illius nunc ex edito loco multa de Deo fundere puerili facundia; nunc flexo genu noctu diuque ad plures horas orando perstare; semper autem haerere lateri magistri sui adeo libenter, ut ejus societatem atque praecepta jucundissimae rusticationis otio anteferret (12). Hoc eodem speculo vos quoque, adolescentuli grandiores natu, quotidie uti volo, ab eo ut discatis lubricum aetatis vestrae integre incorrupteque decurrere, ab eo nunquam a litterarum studiis religionis officia dissociare, ab eo amicos deligere. Etenim ille, humanus quidem in omnes, sed sibi prudens, paucos tantum familiares habuit, et non nisi optimum quemque et probatissimum, quos sive adiret sive admitteret, nihil esset de jactura temporis aut candoris

timendum: non ignorans ad virtutem aut vitium permagni referre, quicum quispiam consuescat. Sed longum esset singillatim omnes cujuscumque aetatis et ordinis ad hoc speculum compellare. Illud potius in medio ponam et in varias partes versabo, unicuique relinquens ultro sibi, quod magis expedit, eligendum. Gregorius itaque cum a prima juventute *omni custodia servasset cor suum, tradidissetque ad vigilandum diluculo ad Dominum* (13), saepe illud alacriter Deo obtulisse crediderim his verbis: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum* (14), paratum scilicet ad adversa, paratum ad prospera: idque interprete ac duce D. Bernardo (15): cujus lectio, merum pietatis mel, ipsum vel morbo laborantem mirifice recreabat (16). Totum sane humanae vitae tempus dexteri et laevi casus, veluti dies et noctes, perpetuo discriminant. Has inter vicissitudines versamur et agimur omnes. Felix, cujus cor nec secundis rebus elatum, nec fractum adversis *servit Domino die ac nocte* (17). Talis Barbadicus, qui duplex hoc belli genus (utrumque sane arduum et periculosum, a quo vel fortissimus quisque fere non redit victor, nisi saucius) animo tam invicto sustinuit, ut nunquam ipsi potuerint nec tristia constantiam commovere, nec laeta moderationem inflectere. Itaque ab adversis sibi campum aperiat oratio nostra; quorum nomine ea veniunt, quae paci, quae vitae, quae famae molesta contingunt. Hoc malorum conflictu, multiformi

velut ariete, humani cordis mansuetudo pulsatur. Probata illa demum virtus est, quam nihil horum potest concutere. Sed unde ego potius incipiam, quam ab eo praelio, quod primum Gregorius ad Tiberim iniit, cum atrox pestilentia Romae grassaretur? Trepidatio tota urbe ingens, et consternatio. Regnantis Pontificis auctoritas et vigilantia, ne latius serperet malum, nullique languentium deessent corporis animique subsidia, singulis urbis regionibus praeficit delectos viros, transtiberinae Gregorium, ubi plus miserationis et dexteritatis requirebatur, duplicante ibi aerumnosam moestitudinem metumque squalore et illuvie plebis miserrimae. Mandanti paruit *corde magno, et animo volenti* (18) Barbadicus. In quo laudem magis pietatem an fortitudinem? Parere pietatis fuit, adesse vero tanta ope, fortitudinis. Lustrare jam ipse assidue funestas vias, descendere mane et vespere in aegrotantium domos, recensere familias singulas, urgere moras, sollicitare opera cunctantium ministrorum, sapienter quaeque partiri ad victum, ad valetudinem, ad levamen auxilia, nihilque humani, aut divini omittere, quod infelicium salus, quod publica incolumitas, quod commissi sibi muneris ratio a Christi discipulo et legato postularet. Jacent strata passim cadavera; caduntque super alios ante ejus pedes letifera vi correpti duo quoque ex ipsis familiaribus suis. Quid faciat? Respiciatne retro, positoque aratro coeptum in medio relinquat? Hoc

de illo corde suspicari, injuria fuerit. Illato terrore constantior, non suorum funere, non sui discrimine absterritus, stetit intrepidus super munitionem suam, pallentibus sociis, gaudentibus aegrotis, plaudente Roma, Pontifice demirante (19). O renovata majorum exempla! Senserunt hostes sitientes sanguinem animarum vigere adhuc in Barbadico eam vim, quam olim Mediolani in Borromaeis formidarunt.

II. Haec fausta illa militiae tuae exordia sunt, Vir fortissime, quibus declarasti te majoribus et maturum praeliis, et dignum triumphis. Jam inde te duxit Roma magnum virum, et magnis honoribus exornandum. Episcopus eras, antequam scires; eras in animo Alexandri VII. aequissimi judicis, qui te jampridem in Westphalia plane noverat, nunc autem christianae, nedum venetae reipublicae ornamentum vocat; eras recte factorum praestantia, eras virtutum fama honestissimis rationibus comparata (20): *Virtus mater gloriae est* (21). Solitariae vitae recessus ne volvas animo: lucerna ardens et lucens latere sub modio non potest. *Sapientia foris praedicat, in plateis dat vocem suam* (22). Fortunatissimae civitates, ad quas tam speciosi pedes evangelizantis pacem, evangelizantis bona! bona vobis diuturni moeroris finem allatura. Regiones vestrae albae jam sunt ad messem: jam redeunt in gratiam arva cum floribus, plantae cum fructibus: *In cubilibus, in quibus prius habitabant dracones, oritur viror calami et*

junci (23): ubi aspides surdae, et lupi ululantes, et inertia fucorum aliena praedantium examina, vox turturis auditur, et balantes agni, et sedulae apes documenta praebentes sapientiae suae, et nidificantes Deo innocui columbarum greges. Veni, veni, Pastor bone, quo te vocat duorum utilitas et exspectatio populorum. Erunt tamen pro utriusque gregis felicitate magni experiendi tibi et exantlandi labores, ineunda pericula, perferendae injuriae, subeundae tempestates, aliae utrinque pestes erunt, romana acerbiores, expugnandae: avaritia atque luxuria, fastus et livor et rusticitas indoctorum, et doctorum arrogantia, et vulgi ignorantia, et procerum licentia, multaque alia, quae *pessimant plebem* (24) Domini, bene moratae vitae contagia.

III. Ecquis unquam possit aut memoria complecti, aut oratione percurrere omnia curarum poenarumque genera, quibus in bergomensi et patavino episcopatu pectus objecit Gregorius? Nego ullam anni tempestatem tam inclementem tamque asperam exstitisse, cujus incommoda vel non contempserit, vel ultro ipse non conquisierit, lenimenta ab arte quaesita respuens omnia, quibus ceteri student nimias algentis et aestuantis aëris molestias temperare (25). Nego ullam illi noctem praeteriisse, quin, vel ipso dormiente, vigilaret cor suum gemitibus pauperum et querelis amice resonans miserorum; quin multas funderet diu insomnis ad Deum preces, precibusque adderet et lacrymas et san-

guinem, modo tundens saxo pectus, modo cruentans humeros sonanti verbere strepituque plagarum (26), ut pulcras vineae suae arbusculas irrigaret, ut popularia commissa lueret, ut *pluvias benedictionis* e caelo *deduceret* (27). Nego denique ullam diei horam, vel horae particulam ipsi vacuam diluxisse: utque liberiorem ad pomeridiana negotia mentem afferret, ita cibi potusque abstinens, ut naturae potius necessitatem fallere, quam vires corporis instaurare videretur. Dicam breviter ac fidenter, auditores: multo amplius ille laborem desiderabat, quam nos requiem post laborem. Totus ejus vitae cursus laborum cursus fuit: semper ita vixit, ut nunquam quiesceret: quies illi loco poenae: senectute ipsa ingravescente, animus victor annorum, et cedere infirmitati nescius juvenili satagebat ardore. Si quid est quod suppleat solatii vicem, una est laboris mutatio (28). Finis unius operis, alterius initium est. Hodie absolvitur pastoralis totius ovilis visitatio? Cras iterum, nulla interjecta respiratione et mora, redintegratur. E matutina contentione sub meridiem redeuntem, et adhuc aestu et sudore anhelantem nova e vestigio excipiunt vespertina certamina (29). *Caritas Christi urget* (30) cor illius, ut sit ad dura patiens, ad pericula impavidum, ad ardua magnanimum, ad luctas invictum. *Ignis* est cor illud, *qui nunquam dicit: sufficit* (31). *Rubus* est, *qui ardet, et non comburitur* (32). Fulgur est de genere illorum, de quibus scriptum est:

Ibant et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis (33). Unde illam tantam celeritatem et incredibilem cursum, quo toties amplissimos ditionis suae fines perlustravit, inventum putatis? Non enim illum praepropera et indiligens festinatio, aut eximia vis equorum, aut aerii aliqui currus tam celeriter in ultima quaeque alpestrium montium juga iterum iterumque pertulerunt. Sed hae res, quae multos absterrere et remorari solent, non retardarunt: non calores immodici, non acerbissima frigora, non incommoda valetudo, non viae aut nivibus lubricae, aut hibernis imbribus corruptae, aut alluvie aquarum obrutae. Curru vel cymba, eques pedesve discrimine nullo: pergit, instat, nunquam cessat: invisit revisitque ovilia singula; his reficit septa; novis illa laetificat pascuis rivisque salubribus; hinc arcet bestias pessimas; hic capit vulpes parvulas, quae demoliuntur vineas; alibi canes mutos ad latrandum exacuit; multa ubique onerat et compescit catena *singularem ferum*, ut discat non insolescere in gregem suum (34).

IV. *Sic mane comedit praedam, sic vespere dividit spolia* (35). O praedas! o spolia! Videat haec suis erepta faucibus latronum dux Satan: dentibus suis fremat, et tabescat, et vindictae cupidine inardescens *paret sagittas suas in pharetra, ut sagittet in obscuro rectum corde* (36). Quid enim malus efficiat? Novas vincenti palmas, novas glorioso capiti coronas deproperabit.

Stantem columnam nil proruat: nil speculi hujus nitorem inficiat: non aegritudines corporis, crebrae licet, diuturnae, molestissimae; non obtrectationes atque injuriae hominum infestissimorum. Aeger decumbit: sed animo habitat caelum. Lectulum ejus floridum nihil turbat aut contristat: non febrium ardor et pertinacia, non medicaminum amaritudo, non ferri acerbitas, non famulorum incuria. Moeroris, taedii, querimoniae vestigium nullum: omnia pax, omnia hilaritas, et benignitas, et vox laudis, et gratiarum actio (37). Nam dolores et vulnera praemii loco habet et oblectamenti. Sic *virtus in infirmitate perficitur* (38). Aeger decumbit: sed Gregorii magni, patroni sui, aemulator egregius, docet, hortatur, multa scribit, multa parat ad Ecclesiae gubernationem utilia. Aeger decumbit: sed faciles ad ipsum aditus: non intermittit peramanter excipere vel morosos homines, querulos, intempestivos, praecipue pauperis infimaeque fortunae. Data cuilibet querendi, supplicandi, agendi libertas: magna ejus semper in audiendo, major in respondendo, maxima in juvando facilitas. Haec et alia multa, quae jam celanda curavit ingenium modestiae suae, tropaea illa sunt in adversarium erecta: digna profecto ornari apostolico elogio: *cum infirmor, tunc potens sum* (39). Evomat nunc magnus Draco virus livoris sui: spargat in vulgus libellos toleratu gravissimos: rescindat decreta ab ipso edita, et quibus erat affixa locis, subdat

satyras tanto nomini contumeliosas: foveat per annos supra viginti contra illum odia insectantium litibus et controversiis, conviciis et maledictis, vexationibus et calumniis; vitaeque ipsius, nedum famae, moliatur insidias (40). Quotidie celsior, quo pressus magis: *vincet in bono malum:* vincet silentio; *in corde sapientium os illorum* (41). Vincet lingua, qua pro inimicis studiosius exorabit, quam alii adversus inimicos invehantur (42); *cor sapientis erudiet os ejus* (43). Vincet manu, non solum ad veniam ultro porrecta, sed laedentes etiam majoribus beneficiis cumulante; *cor sapientis in dextera ejus* (44). O cor beatissimum! quam fideli in speculo nobis exhibes imaginem Filii Dei, dum *proposito* tibi *gaudio sustines crucem, confusione contempta* (45).

V. Lubricum illud animal, tortuosis anfractibus mobile, callidius cunctis animantibus terrae, quod parentes nostros in horto voluptatis fraudulenter decepit, ad vivum exprimit hostem alterum, qui Gregorii cor, tanquam arcem undique vallatam ac munitissimam, omni machinarum genere nunc aggreditur oppugnare. Est enim et iste largus promissis, blandus muneribus, pellax illecebris, victoriis ferox. « Multo enim plures, ut » admonet Claraevallensis, prosperitatis fallaciae, quam » adversitatis flagella dejiciunt (46) ». Prosperitas itaque in Barbadicum instruit copias suas. Duplex acies: hinc deliciae, census, opes: illinc honores, acclamationes, di-

gnitates. Constituit ipsi primum ante oculos magica haec adversaria hortos ad amoenitatem, villas ad otium, palatia ad magnificentiam: additque convivia ad luxum, concentus ad delectationem, spectacula ad curiositatem, et quae omnia donat, et cui omnia obediunt, reginam pecuniam. Blandi exercitus insidias et impetum athleta noster ea vi et arte fudit, quam a Jeremia didicerat; *pretiosum* scilicet *a vili separando* (47). Hortis utitur ad orandum, saepe solem et auroram praeveniens, Nazareni morem et exemplum secutus. Utitur villis ad solitudinem et contemplationem; palatiis utitur ad hospitalitatem. Hospites ejus dioecesani pastores, quibus erant diversoria quaelibet interdicta; advenae et peregrini ex omnibus terrarum finibus gloriosum D. Antonii sepulcrum adeuntes; episcopi e patrio solo pulsi religionis causa; et alii plurimi, quos ejus caritas e tenebris superstitionis et haereticae pravitatis naufragio in Petri navem, tanquam in portum, traduxerat (49). In mensa porro quotidianisque conviviis quales triumphi! Ibi jacet immanis illa, quae plures occidit, quam gladius, multorum capitum fera, et cum ipsa pariter jacent reliquae omnes quae inde pullulant, cupiditates et insaniae. Quibus armis, auditores? Pulveris exigui jactu: nunc cinere dapibus asperso vinoque dilutissimo, nunc arido tantum pane et aquae potu. Meliora fercula sobriam mentem reficiunt; pia lectio, sacra concio, religiosa colloquia sapientiae

plenissima, et adstantes, credo, supra caput ejus caelitum chori divina illa alternantium cantica (49): «Qui » Christi sunt, carnem crucifixerunt cum vitiis et con- » cupiscentiis suis (50)». «Sapientia non invenitur in » terra suaviter viventium (51)». Post tale decus quid memorem semper illum oculos ab omni rerum delectabilium specie, licet honestissima, semper aures, licet musicae sciens et appetens, ab omni concentu, quoad potuit, prohibuisse? An illa omittam, quae fama tantopere celebravit, testanturque adhuc historiarum monumenta? Regia munera splendide ad illum missa, et eadem ab ipso remissa splendidius; domesticum aerarium saepe quidem suis, nunquam autem alienis necessitatibus clausum; promptuarias cellas et horrea indigentium patefacta miseriis; pauperculas virgines, collatis dotibus, in tuto positas; quotidiana cibaria aegrotantibus et carcere inclusis tributa; annua subsidia largiter constituta coenobiis, piisque domiciliis; nummos, alimenta, vestes, omnia submissa nobilibus honestisque familiis, quibus acerbiorem calamitatem facit pristinae fortunae recordatio, et ubi recens pudor, malus vulnerum celator, cum fame saepe decertat (52). In arca Gregorii nullum aeruginat metalli genus: nam custos illius et administra, quae *ab infantia* eo in corde *creverat, miseratio* (53). Et cum ab Ambrosio didicisset *vilem esse pecuniam* cum conditur, pretiosam cum disperditur (54), regii vatis illud implevit: *disper-*

sit, dedit pauperibus. Cudit enim, spargitque in urbes et rura libros alendae pietati instituendisque moribus accommodatissimos; hortatur parochos, ut se frequenter adirent, et quodcumque egenis suis opus esset, libere postularent: postulatis majora solitus elargiri (55). Duo magnis impensis fundat collegia, trestense et patavinum, hoc patriciis venetis, illud egregiis finitimarum urbium adolescentibus, eo potissimum consilio, ut in timore Domini et in bonis artibus eruditi, virtutem postea celso in loco stantes et auctoritate melius tueri, et exemplo suo ceteros quoque possent ad eam amplectendam validius allicere et incitare (56). Non semel aedium episcopalium muros aulaeis et peristromatis denudat, ut gelu torridae et seminudae inopum turmae convestirentur: et aulicis mussantibus reponit: *pauperes algere, non vero parietes* (57). Jubetque, annonae caritate ingruente, divendi et duos equos: *nefas,* inquiens, *a belluis consumi, quod famelicis filiis debemus* (58). Denum, ne longius abeam, Seminarium hoc.... Sed quemadmodum de hac re loquar? Quae tantum habet amplitudinis et gravitatis, ut sibi una et recens latus, et non fessas aures, et integram ac disertissimam orationem requireret. Quare id muneris pomeridiano Oratori relinquens (59), unum dicam, auditores, nullum fuisse liberalitatis, nullum providentiae genus, quod non in hanc domum large effuseque contulerit cor illud munificentissimum, ut nosmet egestate

ditaret sua, divini et in hoc referens formam Pastoris, qui «cum esset dives, propter nos egenus factus est, » ut illius inopia divites essemus (60)». Priore sic praelio confecto, ovantes et gratulantes parentem victorem sequamur ad secundum certamen, seu potius triumphum properantem.

VI. Dux hujus agminis ambitio. Ambitio, juvenes optimi, subtile malum, secretum virus, criminum fomes, virtutum pestis. Hoc caverat provida et abstinens Gregorii mens, qui adhuc adolescens hac se cogitatione obarmaverat, sibi ad immortalia condito nihil pensi habendum minus, quam fragilem speciem rerum humanarum. Hinc splendidos patriae magistratus et togae fasces defugiens sub tacitis templi umbris cum in tutiora se recepisset, sperabat omnem gloriae aditum sibi interclusisse. Verum plures ultro una post aliam dignitates ipsi repugnanti delatae: quas vir modestissimus partim constanter recusavit, partim accepit invitus, inito secum pacto primum ut se ipsum tanto deprimeret inferius, quanto altius ab aliis attolleretur; tum ut laudem integram refunderet in Deum; denique ut a fumo fulgorem, a zizaniis segetem, a paleis triticum segregaret. Nec propositum fefellit eventus. Segregavit siquidem de more Gregorius ab honoribus publicisque muneribus *phylacteria, et fimbrias, et salutationes in foro* (61), fastidiosa supercilia, aemulas contentiones, magnos et officiosos comitatus, et raro a fulgido

corpore semotas assentatorum umbras. Atque ex hujusmodi quasi faecis vilitate quaedam ipse sapienter excerpsit, sibique reservavit, onus officii, ministerii jugum, opus evangelistae, et quantum pretii ac ponderis ex dignitate adjici potest verbo et exemplo amantissimi patris, bonique pastoris.

VII. Quid Romani, Florentini, Mediolanenses effusis studiis in hoc hospite splendide excipiendo honestandoque certatis? Quid cum illo aulae regiae, magnifici apparatus, laquearia aurea, lecti eburnei et sumptuosa convivia (62)? Quid bellicae arces, pyramides, columnae et cetera vestrarum inclytarum urbium ornamenta, et opera praeclara? Optatis ne Barbadici indulgere ingenio, et solida ejus vota plenius ac melius explere? *Cor sapientium ubi tristitia est* (63). Circumducite illum per abjectas pauperum casas, per derelicta aegrotantium tuguria, per sacra silentia et solitudines terrestrium angelorum, per aedes ac templa, ubi pueri et puellae christianae fidei imbuuntur rudimentis (64). Haec amat; has ille infantium scholas praefert omnibus sophorum academiis Socratem et Platonem sonantibus; praeponitque domos luctus domibus convivii, curribus Pharaonis fiscellam Mosis, Reguli filio servum Centurionis. Quod si forte praesulem nostrum donis auctum ornatumque dimittere vos cogitatis, nihil aliud summam ejus abstinentiam expugnabit, nisi pietas. Divi Caroli imago, et Crux D. N. J. C. (65) dona

illi longe omnium atque unice gratissima (66). Statuit enim in corde suo et ad illius exemplum vivere, et non nisi in hoc signo gloriari. Hinc romana ipsa, qua decorabatur, purpura non aliunde in ejus oculis speciem et decus traxit, quam a sanguine Salvatoris. Quamquam aliud munus est, cives ornatissimi, quod valde illum sollicitum tenet; quodque, ut consequatur, obsecrat omnes et obtestatur, spondetque neminem eo cariorem, qui sua optata faceret, sibi futurum. Ecquid hoc aut tam excelsum, quod nobilissimi illius cordis desideria incendere posset, aut tam summum, quod nemo amantissimorum suorum licet opulentissimus valeret omnino perficere? Vocem ne alicujus oratoris, aut poetae, a quo optime praedicarentur tot ejus vaticinationes et oracula et prodigia, tot aedificia magnifice excitata, tot opera praeclare instituta? Celat ipse diligentissime quidquid sibi nominis famam parere potest, jubetque deleri, si quid in sui commendationem deprehendit inscriptum (67). Quid ergo? Unum hoc, auditores, cupit, hoc unum expetit Gregorius, ut nemo tacitus dissimulet errata sua, sed quisque libere objiciat, et fidenter moneat quidquid vel omissum ab ipso, vel admissum in pastoralis privataeque vitae ratione offendisset (68). O munus rarissimum! procul, et de ultimis finibus pretium ejus! O votum eximium *super tecta praedicandum omni creaturae!* Utinam mihi ea nunc vox esset, quae universum terrarum orbem pervadere

posset, et praecipue virorum principum auribus insonare: exstitisse quondam sanctissimum Antistitem innocentia vitae integerrimum, sollicitudine vigilantissimum, divina prudentia praeditum, qui, cum nulli esset reprehensioni obnoxius, et quavis laude dignissimus, omnem tamen aditum laudatoribus interclusit, reprehensoribus patefecit!

VIII. Verum quid mea voce, quae nulla est, aut cujusquam eloquentia opus ad tantae virtutis gloriam disseminandam? Quae ora, quae regio tam clari nominis ignara? Testis Roma, quae, cum ex omnibus undique gentibus praestantissimi viri Pontificis creandi gratia eo confluxissent, vidit atque perspexit, quam ardens in Barbadicum esset omnium advenarum favor, quam effusa populi romani studia, quam ingens apostolici senatus de patavino Pastore opinio, cum ad eum suprema dignitate ornandum plures simul et ultro conspirarent. At cor illud, Roma et orbis terrarum imperio longe majus, singulari constantia sibi unum obstitit ne regnaret (69). Gregorius se ipsum vincens vicit omnes; summa ac Deo proxima sede tum dignior visus, cum meruisset et obstitisset. O praecellentissimum dominatorem animi sui expugnatoribus urbium quam maxime praeferendum! Assyriorum duci filia inclyta Merari cum amputasset caput, *horruerunt Persae constantiam ejus, et Medi audaciam ejus* (70). Horreant et suspiciant omnes gentes virtutem quoque cordis il-

lius, quod meliore triumpho cupiditatum maximam, ceterarum omnium turbulentissimam ducem, in se ipso cohibere potuit penitusque conficere. Mirari certe non desinent posterorum aetates omnes duos plane singulares viros, hinc Caelestinum, inde Barbadicum, certabuntque inter se, uter eorum mirabilior fuerit, prior ne, qui postquam onus expertus est, sponte se regno abdicavit, ut suavissimae contemplationis assueta studia repeteret, an hic alter, qui antequam ejus dulcedinem delibaret, se ab illo subtraxit, ut se totum pristinis curis et laboribus restitueret. Plaudat solitudo magnanimo contemplatori suo: at tu, Euganea civitas, cui primum plaudas nisi illi, qui dici maluit tuus, quam pastor et pater omnium populorum? O cor Patavii et patavini gregis amantissimum! *Quia fecisti hanc rem, et non pepercisti* honori tuo maximo *propter me* (71), *dilataberis ad occidentem et orientem, et septentrionem et meridiem* (72). Non circumscribitur, quibus te hodie veneramur, angustiis fulgor virtutum tuarum. Praetergreditur Venetorum fines, transmeat Alpes, Gallias occupat, pervadit Germaniam, et magnam christianae Europae partem illuminat. O speculum ingens, et amplitudine late pertinens, in quod omnis aetas gaudet intueri, flos pueritiae, adolescentiae vigor, canities senectutis; omnis hominum conditio atque fortuna, togati magistratus, clerici, sacerdotes, praesules, pastores, cardinales, pontifices; et qui premuntur ad-

versis, et qui prosperis affluunt; studentque singuli hinc sibi veras virtutum formas animique decora comparare! Sed si diutius, si curiosius, si propius te adspiceremus, nimio fulgore perstricti hebescerent profecto oculi et caligarent. Quare subtrahe, quaeso, subtrahe radios parumper tuos. Fulsisti adhuc tamquam speculum *in bases virtutis*, ut provocemur exemplo: exere nunc te, conversa facie, tamquam scutum in *protectionem fortitudinis*, ut invocemus auxilium.

IX. Ad fores hujus domicilii libenter admodum conspicerem hinc atque hinc posita duo ex aere aut e marmore constituta ingenti mole et praeclara specie simulacra, quae concinne simul et perite referrent antiquas loci custodes, optimas animi et ingenii moderatrices, *disciplinam* et *scientiam*. Et haec vellem inter utramque super postes inscribi: *quamdiu nobis honos habeatur;* quasi ingredientibus indicarent, ecclesiastici hujus praesidii robur et diuturnitatem ab ipsarum cultu et obsequio pendere. Hic hic est ille spiritus duplex, cujus nos, antequam munificus parens raperetur in caelum, reliquit heredes; haec protectio fortitudinis nostrae; hoc illud scutum, quo circumdedit nos veritas ejus. Scutum nostrum voco, auditores, et scutum aheneo et adamantino muro tutius, non parietum extructionem et amplitudinem; non bibliothecam idoneis voluminibus ab ipso instructam; non typographiam tam

splendide fundatam, ut non ultimum Italiae decus haberetur et esset; non multa multarum artium praesidia; non agros, non census, aliaque prope innumera, quibus nos ille cumulatissime et vivens et moriens locupletavit; (licet et ipsa ad vitae usus necessaria, et ad loci honestatem opportuna); sed unum illud ante omnia praeclarissimum christianae sapientiae opus a Borromaeo inchoatum, a Barbadico perfectum, verendas pietatis tabulas, magnifica doctrinae rudimenta, leges, dico, et instituta, quibus tota morum studiorumque nostrorum ratio continetur. O robusta generosae militiae tirocinia! O faustissima grandioris sanctitatis solidaeque litteraturae primordia! Tanti facienda, quanti optima pastorum institutio, quanti gregis regimen et salus. Nihil in iis temere, nihil inconsiderate positum, nihil leve, quod contemni juste possit, aut parvi aestimari. Omnia diligentissime expensa, sapientiorum consultationibus confirmata, duorum prudentissimorum praesulum conspirantibus in unum studiis, meditationibus, precibus concepta, dictata, sancita, ut juventus sacris hisce septis concredita *sancte et magnifice coleretur* (73).

X. Atque hanc ejus spem non inanem fuisse si opus esset ostendere, poeta quispiam fulgentem vasto orbe clypeum in medium proferret; domesticis undique distinctum factis, et avitis imaginibus insignitum. In medio Gregorii cor, idem rector et regula, unde in omnia

spiritus vitae, divinis hisce, quasi radiis undique erumpentibus, coronatum notis: *secundum cor tuum fecisti omnia magnalia haec* (74). Extremas oras circumfluit unda juvenum quasi mare fervens: cuilibet ingredientium disciplina indicit: *hic confringes tumentes fluctus tuos* (75). Scientia vero: *stude sapientiae, fili mi, et laetifica cor meum* (76). Parte hac tollitur pyra, palmarum veterum testimonium eloquens et monumentum: alia super alia *tela nequissimi ignea,* jam infracta et exstincta. Parte alia videres argenteos lituos, mitras aureas, et pallia, et pileos purpureos: sacrorum antistitum, qui hinc exstitere, certa et nota insignia. Non procul Vicetiam, Veronam, Taurinum, et cum aliis Italiae urbibus Romam ipsam tendere gaudentes manus ad eximios viros in hac disciplina educatos et hinc missos, ut et ipsarum juventus Gregorianis legibus institueretur (77). Sequitur multiplex, variis dispersa locis, agricolarum et pastorum cohors. Alii seminant, alii metunt, alii *cum exultatione* redeunt *portantes manipulos suos* (78). Hi viduas vites erigunt, suffulciunt, putant. Avertunt alii infestos turribus accipitres, pascuis serpentes, ovilibus lupos. Partim docent in gymnasiis, partim tonant in templis, iisque dicentibus densa audientium corona silet, aut pectus plangit, aut gemit. Longe quoque prospiciuntur antennae et vela ad Arabes atque ad Indos serendae fidei voto contendentium, ira maris et morte contempta (79). Quid illi sexaginta

fortes ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladium, et ad bella doctissimi, qui solium patavini pontificis ambiunt, velut illud Salomonis? Hi sunt viri *divites in virtute, hostiae viventes*, omnes parati ad nutum episcopi dissidentium familiarum odia restinguere, populares turbas compescere, corruptelas tollere, juventutis inconstantiam coercere, senectutis imbecillitatem, viduitatis solitudinem, egestatis orbitatem consolari. Ac si quis forte haec putet ad poeticam ostentationem dicta, consulat sacros Patavii fastos, et non solum vera esse, quae diximus, sed alia multo graviora superesse dicenda facile recognoscet. Fode itaque parietem (quod hebraice cor, latine paries dicitur (80)) fode, inquam, parietem illum, et videbis virtutes majores. Videbis amplissimam novi collegii designationem atque apparatum, ubi omnes publicae hujus Universitatis adolescentes congregati disciplinae frenos reciperent, et inconsultae libertatis periculis subducti tutius ad verae sapientiae lauream deducerentur (81). Fode parietem, et videbis quid ille cogitarit ad catholicae religionis fines propagandos; quid egerit, quid scripserit, ut Graeci ad romana sacra transirent, ut oriens et occidens terraque universa unius moris, quoad fidem, esset et labii unius, babelicae turris iterum dejectae laetius renovato prodigio (82). Fode parietem, et videbis longe plurima beneficia nobis necopinantibus tacite delata: calamitates tam sapienter amotas, ut earum sonitus ad

vigilantiam excitaret, vulnus non percelleret; incendia, quae vastam perniciem nostris aedibus minabantur, cito detecta, citius restincta; morbos ab alumnorum corporibus mire depulsos, et, quod mirabilius est, in multis etiam faces ipsas et aegritudines animorum ejus ope precibusque sublatas, iracundia in mansuetudinem, audacia in consilium, in gravitatem levitate morum conversa. Videbis .... *numera stellas, si potes* (83). Sed ne unum taceam, quod singulari illius tutelae profecto adscribendum, videbis scholas nostras *doctrinis variis et peregrinis* nunquam *abductas* (84), nunquam funesto partium studio implicatas, nunquam spiritu erroris vertiginisque contortas nihil hactenus pristini candoris et antiquae integritatis amisisse. *Jesus Christus heri et hodie: ipse et in saecula* (85). *Domine, ne elongaveris auxilium tuum* (86).

Pater mi, pater mi, currus Israel, et auriga ejus (87). Pater officio, pater affectu: currus, qui nos et onera nostra tam patienter sustines ac vehis: auriga, qui segnius incedentes flagello admones, velocius festinantes freno cohibes, imbelles adjuvas, timidos hortaris, discordes copulas, devios reducis, et singulos atque universos urges ad bravium Christi; conserva nos, oro, obtestorque, « fidei jugo subjectos, adstrictos » vinculo caritatis, justitiae frenis, retinaculis sobrie- » tatis (88) ». Intuere quemadmodum corda nostra pateant hodie ad te, imo veluti totidem hiantia conchy-

lia aperiant singula os suum ad rores tuos: *ros lucis ros tuus* (89). *Stilla* ergo, *stilla* super ea *eloquium tuum* (90), et effice, ut salsis amarisque intacta fluctibus *in die malorum in abscondito tabernaculi tui* (91) margaritas ipsa sedulo inchoent suas, solertius elaborent solideque perficiant, pretiosas, inquam, illas margaritas, quibus muri et turres Hierusalem aedificentur.



ADNOTATIONES

(1) II. Reg. c. 6. v. 6.

(2) II. Paral. c. 34.

(3) II. Machab. c. 1.

(4) D. Ambros. Serm. 2. de Elisaeo. O hereditas pretiosa. in qua plus consequitur qui accipit, quam possideret qui largitur.

(5) Psal. 80. v. 3. 4. Sumite psalmum, et date tympanum in insigni die solemnitatis vestrae.

(6) I. ad Thess. c. 4. v. 17. Rapieris in nubibus obviam Christo in aera.

(7) Luc. c. 15. v. 9. Congratulamini, amici, quod talem drachmam invenimus.

(8) Tacitus enim cordis interpres, conscientiae index. S. Ambros. lib. de Elia c. 10.

(9) Ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de illo. Eccl. c. 19. v. 26. 27.

(10) Ex D. Bernardo Serm. 2. n. 4. de S. Malachia non ad verbum.

(11) Ricchinius lib. 1. c. 2., et Cordara lib. 1. c. 4.

(12) Idem in ejus vita lib. 1. c. 1., et Musoccus in ejusdem vita ms. c. 2.

(13) Omni custodia servasset cor suum, tradidissetque ad vigilandum diluculo ad Dominum. Prov. c. 4. Eccl. c. 39. v. 6.

(14) Psalm. 56. v. 8. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.

(15) D. Bernardus Serm. 2. de jejunio.

(16) Jacobettus Opusc. polit. litt. pag. 198.

(17) Apoc. c. 7. v. 15. Servit Domino die ac nocte.

(18) Corde magno, et animo volenti. II. Machab. c. 1. v. 3.

(19) Ricchinius lib. 1. c. 3.

(20) Idem ibid.

(21) Virtus mater gloriae est. S. Bernardus Serm. 1. de S. Victore.

(22) Sapientia foris praedicat, in plateis dat vocem suam. Prov. c. 1. v. 20.

(23) In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, oritur viror calami et junci. Isai. c. 35. v. 7.

(24) Pessimant plebem. Eccli. c. 36. v. 11.

(25) Ricchinius lib. 1. c. 7.

(26) Cordara part. 2. c. 4.

(27) Ut pluvias benedictionis deduceret. Ezech. c. 34. v. 26.

(28) Ricchinius lib. 2. c. 14.

(29) Idem lib. 1. c. 7.

(30) II. Cor. c. 5. v. 14. Caritas Christi urget.

(31) Prov. c. 30. v. 16. Ignis est qui nunquam dicit: sufficit.

(32) Exod. c. 3. v. 2. Rubus est, qui ardet, et non comburitur.

(33) Ezech. c. 1. v. 14. Ibant, et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.

(34) Ricchinius lib. 2. c. 7., et Musoccus lib. 2.

(35) Gen. c. 49. v. 27. Sic mane comedit praedam, et vespere dividit spolia.

(36) Parent sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde. Psalm. 10. v. 2.

(37) Acta Beatif. tom. 2. Summar. pag. 164.

(38) Virtus in infirmitate perficitur. II. Cor. c. 12. v. 9.

(39) Cum infirmor, tunc potens sum. Ibid. v. 10.

(40) Cordara in ejus vita part. 1. c. 16.

(41) In corde sapientium os illorum. Eccli. c. 21. v. 29.

(42) Cordara in ejus vita part. 2. c. 9.

(43) Cor sapientis erudiet os ejus. Prov. c. 16. v. 23.

(44) Cor sapientis in dextera ejus. Eccles. c. 10. v. 2.

(45) Proposito tibi gaudio sustines crucem, confusione contempta. Hebr. c. 12. v. 2.

(46) D. Bernardus Serm. 1. n. 7. de Malachia.

(47) Pretiosum a vili separando. Jerem. c. 15. v. 19.

(48) Ricchinius lib. 2. c. 7.

(49) Id. c. 14.

(50) Gal. c. 5. v. 24.

(51) Job c. 28. v. 13.

(52) Ricchinius lib. 2. c. 7., et Acta Beatif. tom. 4. Summar. a pag. 241. ad 268.

(53) Job c. 31. v. 18.

(54) In tractatu super Psalm. 37.

(55) Ricchinius lib. 1. c. 14. 15., et lib. 2. c. 1. 7.

(56) Id. lib. 1. c. 12.

(57) Id. lib. 2. c. 7.

(58) Musoccus lib. 4. c. 21.

(59) Il signor D. Vincenzo Scarpa di Este, maestro allora nello stesso Seminario di Padova, ora Canonico Arciprete della Cattedrale recitò in sul vespero una sua Orazione italiana intorno all'amor parzialissimo del B. Gregorio verso del Seminario.

(60) II. Cor. c. 8. v. 9.

(61) Matth. c. 23. v. 5. Phylateria, et fimbrias, et salutationes in foro.

(62) Cordara part. 3. c. 4.

(63) Eccles. c. 7. v. 5. Cor sapientium, ubi tristitia est.

(64) Musoccus in ejus vita ms. lib. 2. c. 18.

(65) Id. ib. c. 19.

(66) Il B. Gregorio con sensi di vera gratitudine accettò dall'emin. Card. Litta di Milano un ritratto di S. Carlo Borromeo; e da Cosimo III gran Duca di Toscana un'insigne reliquia della S. Croce. Acta Beatif. tom. 4. Summar. pag. 50.

(67) Acta Beatif. tom. 4. Summar. pag. 119.

(68) Ricchinius lib. 1. c. 4.

(69) Cordara part. 1. c. 17. 18., et Ricchinius lib. 2. c. 15.

(70) Horruerunt Persae constantiam ejus, et Medi audaciam ejus. Judith c. 16. v. 12.

(71) Quia fecisti hanc rem, et non pepercisti .... Gen. c. 22. v. 16.

(72) Dilataberis ad occidentem et orientem, et septentrionem et meridiem. Ibid. c. 28. v. 14.

(73) Sancte et magnifice coleretur. In Praef. B. Gregorii Barbad. ad Oblatos.

(74) Secundum cor tuum fecisti omnia magnalia haec. II. Reg. c. 7. v. 21.

(75) Hic confringes tumentes fluctus tuos. Job c. 38. v. 11.

(76) Stude sapientiae, fili mi, et laetifica cor meum. Prov. c. 27. v. 11.

(77) Ferrari de B. Gregorii studio etc. in Seminarium Patavinum c. 13.

(78) Cum exultatione portantes manipulos suos. Psalm. 125. v. 7.

(79) Cordara lib. 1. c. 11.

(80) Fode itaque parietem (quod hebraice cor, latine paries dicitur) D. Hieron. comment. lib. XI. in Isai. c. 38. sub init.

(81) Acta Beatif. tom. 4. Summar. pag. 114.